

Ve
1211

Kh. 169.

(1)

QK. 169.

III, 414

333.33

PRO-CANCELLARIVS
GVSTAVVS HENRICVS
MYLIUS
ICTVS
SOLEMNIA IN AVGVRALIA
CANDIDATI NOBILISSIMI
CAROLI LVDOVICI
STIEGLITZII,
LIPSIENSIS,

D. XXVII. JANVAR. M DCC LII.

CELEBRANDA
INDICIT.

PRO-CANONI-LIBRIS
CASTAVAS HENRICAS
MULTIUS LIBRIS

ICLAS

SOPHINIANA LIBRIS
CARNIVALLI NOTABILIA
STEGHORN

CAROLI LUDOVICI

STEGHORN

LIBRIS
CARNIVALLI NOTABILIA
STEGHORN

LIBRIS
CARNIVALLI NOTABILIA

INDICAT



Quod in negotiis humanis plurimis
euenire solet, ut optimae quae-
quae res abusu corrumpantur, id
plerumque in cauiss forensibus
accidit, dum media Legum beneficio intro-
ducta, quae recto vsu sunt salutaria atque liti-
gantibus proficia, vsu contrario aut illicito
vergant in damnum alterius, imo eiusdem ipsi-
us, qui illis vtitur. Haud ita pridem cum scri-
bendi occasio esset, hoc de Terminis fatalibus
abreuiandae Litis gratia a Legislatore defini-
tis, disputauimus, eorumque numerum ob ab-
usum si non plane tollendum, certe coarctan-
dum esse indicauimus, cum iurgiorum foren-

A 2

sium

IV

sium finem disceptatio illa frequentior de Computatione, Desertione et Restitutione fatalium magis prorogare quam accelerare soleat. In praesenti igitur, cum panegyris Solennior Inaugurationi Doctorali Candidati Nobilissimi C A R O L I L V D O V I C I S T I E G L I T Z I I destinata indicitur, praefaminis loco remedium prouocationis ad eorum salutem, qui a Iudice vel alio modo grauati sunt, vel incommodum futurum timent, concessum, saepius in actoris, nonnunquam etiam rei praeiudicium transformatum, examinabimus, vt huic malo forensi remedium inventiatur.

Communis quidem et longa est querela de abusu prouocationis apud Doctores, quo remedio, vt illustris *Leyseri* verba mea faciam, nihil est salubrius, sed et nihil pestilentius, et quo magis homines abutantur; Caussidici enim, quod *Casp. Zieglerus* in Rabulistica Cap. XXVI. §. 2. reprehendit, appellationis salutare hoc beneficium

ficum in perpetuas trahunt corruptelas, et negotium tum iudicibus ipsis, tum parti adversae si faceſſere queant, in lucro ponunt, cum tamen iniuste facta prouocatio ex L. XIX. C. de appellationibus infamiae, notam imprimat, conf. qui abufum hunc grauiter exposuerunt *Ludolph. Hugo, Feuret, et Guil. Hieron. Brucknerus.* Verum enim vero hac occasione illos faltem proferendi litem modos, mediante appellatione interposita, differere lubet, qui in nostro foro Saxoniae impune ex parte tum aduocatorum, tum Iudicum adhibentur, necessario cancellis circumscribendi.

Illos quidem Oratores forenses quoties auctori patrocinium praefstant, raro prouocationis remedium adhibere cernimus, tum quod victoriā litis accelerare ex animo cupiunt, ^{intum} tum quod rarius grauamen quoddam adesse credunt. Ast cum idem ille cauſſidicus, qui actoris ius deduxit, in pari casu, quando ob idem obie-

VI

Etum diuersi litigant, rei caussam agit, quaenam
apparet catastrophe? quoties durante lite se
grauatum propugnat, iudicique cuiusuis instan-
tiae persuadere conatur? Omnis fere sententia,
iustissimalicet, ipso iudice, grauamen vnum alte-
rumue infert, quae, vt speciosiora sint, nume-
ris pluribus distincta in schedula appellationis
recensentur. Et haec quidem, docent, quam
difficile sit tueri personam aduocati, et ad cau-
sidicos, qui reo in caussa etiam iniusta patroci-
nium praestant, et pruritum prouocandi assue-
scunt, Plinii professionem in Epist. 3. L. II. per-
tinere: *Nos, qui in foro, verisque litibus teri-
mur, multum malitia, quamvis nolimus, ad-
discimus.* Actoris autem vnicum, sed fleibile
manet solatium, superiorem nunquam appelle-
lationi deferre, sed reiectionem decernere.
Maximum quoque litis incommodum assert
ab aduocato facta prouocatio nomine tertii
vel ignoti, vel vagabundi, cuius domicilium
non

non constat. Licet enim Iudex de iniustitia prouocationis ex officio, et absque praeuia notificatione, ad Superiorem referre queat, imo debeat, tamen vbi reiecta est haec prouocatio, eiulque rei notificatio appellanti insinuanda, aqua haeret, licet hoc casu aduocato, qui schedulam subscriptum mandato destituto, rectius notificationem fieri censendum sit. Porro frequens est aduocati prouocatio cum acta inrotulanda sunt, contra eorum transmissionem ad Dicasterium certum, vt plurimum frustranea, causae tamen decisionem retardans. Si enim ratio contradictionis nulla appareat, Iudex aequo ferre animo vix poterit, liberum, quod hac in re habet, arbitrium coarctari, licet petitum gratificari pronus fuisset, sed haec relatio ad Superiorem tempus consumit. Idem accidit tum, cum ad vocatus, cui sententia clienti suo proficua publicatur, metuens ne per remedium Leute rationis aduersae partis a viribus rei Iudicatae

suspen-

VIII

suspenderetur, adigere tentat iudicem, ne huic remedio suspensiō locum daret, addita appellatione, si id obtinere non possit. Iudicis sane officium postulat, antequam de admissione remedii certum quid statuit, appellationem hanc remouere, ne videatur coactus. Ita argumentum appellationis et forma noua, quae speciem iustitiae promouendae mentitur, re ipsa celerem eius expeditionem sufflaminat. Vnicum addam de abusu prouocandi in causis Iniuriarum impuni. Iniurians enim sub pena Confessi et conuicti citatus, et contumax, citatione grauatum se esse in Scriptis afferens, iuncta appellatione, nihil quidem agit, sed hac reiecta non habetur pro confesso et conuicto.

Et hae quidem litis ambages sunt, quae ab aduocatis proficiscuntur. Sed factum iudiciis passim occurrit, quod magis impedimento est in litis progressu, quam ipsum remedium prouocato-

catorium. Solent enim qui in conscribendis actis
sunt occupati, huius interpositi remedii copiam
facere aduersae parti, vt contradicat grauami-
nibus, quae ipsi nondum diiudicarunt, qua in
re duplex est, quod quaeritur, commodum,
tum vt suppeditentur argumenta, in refutatoriis
apostolis concipiendis adhibenda, hacque ra-
tione labor diminuatur, tum vt ille augeatur
communication appellationis, et copialibus ac-
cedat lucrum, id quod pace illorum, qui hunc
quaestuum simulant, dissimulantque, dictum sit.
Hora interim ruit, vsque dum responsio sequi-
tur, qua exhibita Iudex prius de redimendis
quam consignandis apostolis cogitat, diem ad
exsoluendas expensas dicendo. Hic vero eas
cogendi modus, in foro receptus, morae ul-
terioris ansam praebet, et disceptationis, si quan-
do in actis haud notatum fuerit, an solutio facta,
vel fides habita, si consignatio sumtuum quanti-
tatem definitam excedit, si grauamen adest per-

B

petuum,

X

petuum, aut causa alia restitutionis, quae omnia
alunt cunctationem, aequa ac in casu omissae
solutionis, cum ab eo, qui relationem vrget,
suppeditandi sunt nummi. Ut adeo quod ad
vnius commodum idque exiguum introductum,
cedat in alterius incommodum. Literae deni-
que refutatoriae vel generaliter, vel strictim,
vel contra acta elaboratae Curias Superiores
aliquando mouere possunt, ut admittendum
magis quam reiiciendum esse appellationis reme-
dium censeant, quod postea in sententia huius
instantiae declaratur iniustum, quae mora iti-
dem ex facto iudicis inferioris oscitantis ortum
trahit. Idem dicendum erit de eo, qui post
literas remissoriales, cui sententia superioris in-
stantiae iuncta est, insinuatas, partibus litigan-
tibus eas publicandas esse credit, certumque
terminum praefigit, quod Iustitiariis vsu rerum
forensium exercitatis nonnunquam est solenne,
reprehensione tamen dignum. Alii incuriam
in

in eo adhibent, ut relationes ad principem, vel remissoriales cum actis publicis parti litiganti, expensas soluenti, aut eius aduocato, concredere vix dubitent, iudicio, ad quod pertinent, insinuandas, quas tamen saepius illi ad longum tempus retinent, neque iudici tradunt, nonnunquam etiam interuertunt.

Temporis tandem, exigui licet, iacturam affert solennis illa publicatio, qua reiectae appellationis notitia litigantibus aperienda est, notificationis compendio citius absoluenda. Haec de Iudice moratore monuisse sufficient. Quod reliquum est, qui de omni illo abusu prouocandi tollendo cogitant, multam aduocato dictandam inter alia sufficere credunt. Verum enim vero caussidicus hunc puniendi modum plerumque haud timet, qui sibi iam de his nummis prospicere didicit, et lectu digna est narratio in meditationibus Leyserianis spec. DCLV. p. 483. de aduocato, qui in Termino

B 2

publi-

XII

publicationis aūdita reiectione et mulcta, hanc paratam pecuniae summan statim exsoluit, quam a cliente cui messis compendium hac prouocatione fecerat, ante nominis subscriptionem depositi loco accepit. Quae cum ita sint, aut multæ quantitas relatione habita ad damni, quod prouocatione illicita datum est, restitutionem, definienda, aut emenda speculi Saxonie L. II. cap. 12. recipienda erit, in subsidium ab eo, qui prouocationis dux et autor fuit, repetenda. Recessus vero Imperii anni 1654. rigor maximus conspicitur, qui §. 120. sanctiones in moratores forenses ad corporis poenam afflictuam extendendas, memorat.

Reliqua, quae ad illustrandum hoc argumentum faciunt alia opportunitas temporis suppeditabit. Nunc instituti ratio *Candidati Clarissimi* vitam et studia paucis exponere nobis iniungit. Nimurum Vir Nobilissimus Dominus CAROLVS LVDOVICVS STIEGLITZ lu-
cem

XIII

cem aspexit vitalem Lipsiae die X. Aug.
M DCC XXVII. Patrem veneratur Virum
Illustrem atque Magnificum C H R I S T I A-
N V M L V D O V I C V M S T I E G L I T Z ICtum
Consummatissimum, Potentissimo Polonia-
rum Regi et Saxoniae Principi Electori a
Consiliis rei militaris intimis, Ciuitatis nostrae
Consulem, et Scabinatus Regii Assessorem,
Virum integerrimum, Matrem vero Erd-
mutham Sophiam e gente Döringiana oriun-
dam, Sexus sui ornamentum, quibus pa-
rentibus eorumque felicitati, quam in hono-
re filiorum habent, merito congratulamur.
Nostrer ex prouidentia Parentis Optimi ab
ineunte adolescentia praceptoribus usus est
fidelissimis, Steinmüller, Loewio, Poetzinge-
ro, Lehmanno, Leisnero, Walthero, Pitsche-
lio, Krebsto et Ernesto. His institutionibus
Theologicis et Philosophicis, duce Krauffio,
nec non Iurisprudentia Ciiali, quod ad initia,

B 3

Wie-

XIV

Wiesenbauero instructus, Anno MDCCXLVI.
Rectore Christio in numerum ciuium academi-
corum relatus est. In pertractando Iuris Ciui-
lis studio, et quidem in praelegendis Libris In-
stitutionum et Codicis Doctores habuit *Hom-
melium*, *Richterum*, et *Wiesenbauerum*. In
Iure Feudali audiuit *Magnificum Ordinarium
Bauerum*, qui etiam ad ductum Menckenii e
Pandectis examen priuatim cum ipso instituit.
Historiam Statuum Imperii didicit ex ore *Ioe-
cheri* ad positiones Gebaueri; Iuris Publici et
historiae Imperii dogmata ad Mascouii et
Schmuassii theses ex *Schumannni* praelectioni-
bus percepit. Iuri Canonico et historiae Iuris
incubuit praeente *Wiesenbauero*. In studio
practico *Ioachimum* Doctorem sequutus est. In
stile germanico *Maium* habuit instructorem, et
sub *Richteri* et *fratris* charissimi auspiciis in
arte disputatoria exercitatus fuit. Ut etiam
publicum sua diligentiae documentum extaret

Differ-

Dissertationem de *Iure conuentionali sacrorum dirigendorum*, Praeside eodem *Wiesenbauero* publice defendit. Tandem ante aliquod tempus ab Ordine Nostro petiit, vt honorum in Iure summorum adipiscendorum causa, ad conserua examina admitteretur, in quibus et textus vtriusque Iuris erudite explicuit, et ad quaesita promte respondit, vt dignum eum iudicaremus, cui supremi in arte nostra honores tribuerentur. Ea de cauſa futuro die *Mercurii* nimirum d. XXVI. Ianuarii hora pomeridiana II. in auditorio nostro praelectiones in *L. 4. Cod. de Fideicommissis* instituet, proximo vero die *Louis* d. XXVII. eiusdem mensis inauguralem dissertationem sine Praeside de *Fidei-Commisso Familiae, ab iis, quorum interest, sublato*, tuebitur. His peractis Vir excellen-
tissimus *D. Augustus Florens Riuinus*, Assessor Ordinis Nostri et Aduocatus Curiae Supremae Prouinc. et Consistorii Regii, collega coniunctissi-

QK 12. II

XVI

Etissimus ex Ordinis decreto a me, vices cancellarii sustinente, rite constitutus *Promotor dignitatem, honores et priuilegia Doctorum extra tamen spem in Collegium nostrum ascendendi, publice illi tribuet.* Quae sollemnia nostra, vt vos, *Rector Academiae Magnifice, Illustrissimi Comites, vtriusque reipublicae Proceres, nec non Generosissimi et Nobilissimi Academiae Ciues conspectu vestro et aduentu reddatis illustriora, quo quemque decet, cultu rogamus.* Dabam Domin. III. post Fest. Epiphaniae. A. S.

M D C C L I I.




LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

A2502320

UDR

M.C.





PRO-CANCELLARIVS
GVSTAVVS HENRICVS
MYLIVS
ICTVS
SOLEMNIA IN AVGVRALIA
CANDIDATI NOBILISSIMI
CAROLI LVDOVICI
STIEGLITZII,

LIPSIENSIS,

D. XXVII. JANVAR. MDCC LII.

CELEBRANDA

INDICIT.

